Programm,

womit

zur öffentlichen Prüfung aller Klassen

des

Gymnasiums zu Dortmund,

welche am 14. und 15. März 1845 auf der Aula stattfinden soll,

ergebenst einladet

Dr. Bernhard Thiersch,

Director des Gymnasiums.
R. d. R. A. O. 4. K.



Inhalt.

Gedruckt in der J. Bauerschen Buchdruckerei.

Glossaria et latina et graeca quantum valeant ad scriptores veteres recte explicandos, ii omnes probe experti sunt, qui accuratius in iis indagandis enucleandis emendandis versabantur. Ea enim quamquam negandum non est multa continere, quae tam trita tamque inepta sunt, ut vix tironibus tradi queant, multa tamen alia in iis inveniuntur, quae doctissimos qui putantur homines effugiunt, tamque clarum lumen locis difficillimis non raro afferunt, ut omnes omnino interpretum ineptias semel pellant. Quod qui melius intelligere quaeque sit glossariorum vis usu experiri ipsi volunt, in eos inquirant necesse est scriptores, qui et antiquae et recentiori quam dicunt latinitatis aetati adscribuntur. Glossaria enim quum eo consilio conscripta esse primum videantur, ut verba prisca et ab usu quotidiani sermonis iam diu intermissa vel semel tantum usurpata vel singulari quadam significatione dicta aliis iisque usitatis explicarentur, summa vero recentioris aetatis scriptoribus cum antiquissimis necessitudo intercedat ea, quod iisdem fere posteriores utuntur vocabulis quibus antiqui, mirum esse nequit iis potissimum ad glossaria refugiendum esse, qui Plautum Terentium Varronem eiusque aetatis scriptores explicant, aut Apuleium Frontinum Tertullianum iisque similes interpretantur. Ita non raro fit, ut quae plane inusitata et a grammaticis ficta tantummodo prius putabantur, glossis postea comprobata sint, alia de quibus diu inter viros doctos disceptabatur, hodie nihil dubitationis habeant. Hoc quam verum et grave sit, etsi saepius est a viris prudentissimis intellectum, propter magnam tamen eorum quae puerilia et inepta videbantur molem multi erant, qui studium in glossariis ponere insolenter recusabant, quippe non considerantes, eos linguae latinae peritos dici non posse, qui in solo Cicerone Virgilio aliisque id genus scriptoribus versatos se esse gloriantur, sed qui in totam latinitatem ab ultimis inde temporibus profecti inquisiverunt.

Alia huc accedit caussa, cur tam diu glossaria praeceteris latina contemtui fuerint. Erant enim multi interpretes, Elmenhorstium dico, Woweranum, Barthium, Ouzelium alios qui glossariis diligentissime pertractatis, obsoletissima quaeque vocabula venati scriptores ita depravabant et proprium eorum dicendi colorem ita inducebant, ut qui postea eos interpretabantur viri docti magno eoque satis excusando horrore afficerentur, et quod a singulis hominibus peccatum erat, non istorum, ut fieri assolet, insulsitati, sed libris ex quibus tot ineptiae erant depromptae, vitio verteretur nec hodie desunt qui hominem glossaria investigantem cum fatuo ac nugatore eundum esse opinentur. Sed valeant isti magistelli qui tantummodo Ciceronem Horatium Virgilium Nepotem tamquam castigant et quod ipsi non possunt, ab aliis fieri no-

lunt. Quam bene in nostra quoque tempora cadere videatur Ruhnkenii vox, quem suae iam aetatis hominum et negligentiam et insolentiam in hoc ipso litterarum genere deplorasse legimus in praef. ad Apuleii Metamorphos. T. I. p. III. „Etenim bona pars eorum quae a Gellio et Appuleio licentius insolentiusque ficta videri possint, a Grammaticis antiquis maxime a Glossographis conservata reperitur. Quidni igitur reliqua, quorum nullum apud Grammaticos, qui nunc supersunt, vestigium est, pari auctoritate niti dicamus? Qua de re liquidius iudicari poterit tum, cum quis iuniorum Literatorum, qui nunc subitariis Coniecturis edendis famam venantur, sese ad eam laboris, etsi non nimis grati, tamen literis et laudi suae magis profuturi, ad eam igitur laboris patientiam sese durarit, ut Glossaria latina, in Leidensi bibliotheca latentia, quibus nihil usquam vel vetustate vel praestantia simile reperias, e tenebris in lucem vocet, linguam latinam, de cuius inopia vetus querela est, aliquot mille vocabulis ac formis, nondum cognitis, locupletet. Quanquam, quae iuventutis nostrae mollities est, magnopere vereor, ne haec surdis auribus canam."

Nec tamen in sola hominum doctorum arrogantia caussam quaerendam esse puto, quod iusto diutius glossaria latina latuerunt. Accedit quod raro in bibliothecis publicis etiam locupletibus eorum editiones inveniuntur, ut a paucissimis cognosci ea liceat; a privatis autem hominibus et propter exemplarium quae publice venumdantur inopiam et propter sumptuum magnitudinem etiam rarius comparantur. Itaque plurimi liquidius de hoc litterarum genere iudicare nequeunt, quia fando tantum de eo audiverunt. Qua in re ne modum transiisse videar, hoc unum argumento sit. Papiae glossarium inter glossas latinas principem fere locum obtinere usu expertis cognitum est, ut qui antiquissimos et recentioris aetatis scriptores tractare velit, eo carere nequeat; attamen in sex bibliothecis frustra unum eius exemplum quaesivi nec hodieque praeter Parisiis a me descriptum comparare mihi ullum licuit.

Ex his quae modo disputavi efficitur, quantam linguae latinae studiosis utilitatem is allaturus sit qui accuratam et quoad eius fieri possit, integram glossariorum latinorum editionem in lucem proferre conabitur. Quae enim prodierunt editiones, eae et exiguam partem continent, ut glossarium quod dicunt Labaei et Bon. Vulcani, et minus provide et emendate sunt confectae, uti edd. Paris et Londin.: Du Cangii vero mediae et infimae latinitatis glossarium potius ad novissimae aetatis scriptores pertinet ac plurima vocabula omisit quae in antiquissimis et posterioribus scriptoribus inveniuntur, ut recte dolendum sit, Henschelio, qui novam huius libri editionem parat, aut animum aut otium non fuisse, omnes conferendi glossariorum codices, qui plurimi in bibliotheca Parisina Regia nondum collati reperiuntur, quamquam aliquot in suum usum convertisse eum magna cum laude profitendum est.

Nec tamen ignoro, quam caute is qui hoc litterarum genere occupatus est, in glossis edendis et explicandis versari debeat Prorsus enim dubito, omnia quae in glossariis leguntur vocabula ex scriptoribus latinis esse deprompta; certe de glossis quae dicuntur graecolatinis id dixerim Nam qui vocabula graeca latinis interpretari studuerunt grammatici, ii minus id egisse mihi videntur, ut usitata et revera a Romanis usurpata ponerent, quam ut ad significatum et formationem accuratissime ea explicarent, ita ut non raro vocabula subsituerent ipsi, quae quamvis ad grammaticae regulas probata sint,

numquam tamen in usu fuisse persuadeatur. Quamquam hoc pro certissimo enuntiari nequit, quoniam multi vetustissimorum scriptorum libri perierunt. Mihi vero ut haec dubitatio afferretur, effecit cum summa horum glossariorum inter sese discrepantia, quae in aliquot mira est, tum quod ubique studium cognossi potuit glossatorum, ex verbo graeca vertendi, non additis, id quod alias fieri solet, usitatis ac communibus vocabulis. Hoc praeceteris in glossarium Laudunense vetustissimum cadere videtur, quod Parisios, Villemannio iubente, eo quo ibi versabar tempore missum accuratius perlustrare summa Hasii et Champollionis VV. DD. humanitate mihi licuit. Ita mihi quidem persuasum est, talia vocabula tum tantum linguae latinae vindicanda esse, si aut ex aliis iisque latinis glossariis aut ex scriptorum locis comprobari possunt. Plane alia est glossarum mere latinarum ratio. Eae enim quum interpretationis caussa a glossatoribus collectae sint, nova et suo ipsorum ingenio ficta protulisse ii vocabula vix putandi sunt, quod iis non erat, cur talia comminiscerentur, quippe habentes, quo pro captu suo et eruditione inusitata ac plane nova vel scitu digna explanarent. Hanc rem quum accuratius exponere hic locus non capiat, monuisse sufficiat; alio tempore fusius de ea disputare in animo est.

Nostris vero temporibus in hanc glossariorum summam gravitatem animos virorum doctorum denuo attendisse, meritum est Maii, ex quo optimas Placidi glossas in lucem edidit. Eae quantum mihi utilitatis attulerint in editionibus Apuleii et Arnobii parandis vix dicere possum, ita ut inde mirifico glossas indagandi et detegendi studio accenderer. Quod ne vanum esset, superiorum permissu ac singulari liberalitate mihi contigit. Quum enim duobus abhinc annis publicis sumptibus largiter adiutus, ut Tertulliani et Arnobii codices conferrem, per quinque fere menses Parisiis versabar, animum etiam ad eos bibliothecae Regiae codices appuli, quibus glossaria latina continebantur et in tantam eorum molem incidi, ut vix quartam partem describere possem. Plus sexcentis vocabulis linguam latinam his glossariis ditari posse, primo iam adspectu intelligitur, ut mirandum sit, viros doctos, qui in eodem litterarum genere iam prius versati sunt, hos codices in lucem non emisisse. Item vero in aliis bibliothecis glossaria adhuc inedita latent, ex quibus magnum ad linguam latinam redundaturum esse commodum intelligitur; ut glossae bibliothecae Leidensis, quas hoc ipso anno me descripturum esse spero, quum publicis sumptibus adiuto per duos menses iter eo facere mihi permissum sit: ut glossarii bibliothecae Portensis fragmenta, quae aliquot librorum tegumentis internis agglutinata primum ab Haasio, Professore Vratislaviensi, sunt detecta, a Fickerto, Scholae Portensis praeceptore, composita et ordinata. Has glossas quum per Fikerti VV. III. liberalitatem describi a me liceret, edere prius erat in animo, sed modo qui his scriptionibus scholasticis poni solet necessario impeditus, aliud fragmentum glossarii adhuc ineditum typis exscribendum curavi, quod Thierschio, humanissimo Scholae Tremoniensis directori, debeo. Unum illud est folium, eadem forma maxima iisdemque litteris, quibus glossarium Portense, descriptum nec solum externa specie sed argumento quoque illi simile. Continet enim, ut Papiae glossarium, varii generis et argumenti capita, ex aliquot scriptoribus, Cicerone Virgilio Augustino Origene et ex glossographis Isidoro Placido Euccrio deprompta. Pari vero modo glossae Portenses ex iisdem scriptoribus sunt compilata, ut hoc quoque folium earum esse particulam mihi quidem persuadeatur, praesertim quum et litterarum ductus et notas ab eadem manu in utroque Ms. esse appareat Huc accedit quod

Thierschii fragmentum inter glossas Portenses non extat et notum est fuisse in bibliotheca Halberstadtiensi glossarii latini particulam, quae inter tumultuosa Francogallorum tempora dilacerata et ita in vulgus dissipata erat, ut postea gymnasii Halberst. discipuli libros suos scriptos his foliis involverent. Hinc igitur verisimile est, Bibliothecae Portensis et Halberstadtiensis fragmenta eiusdem esse codicis, multis ante annis singulari quadam hominum incuria ita partim dispersi, ut folia internis aliquot librorum integumentis agglutinarentur.

Hoc vero Thierschii fragmentum eo consilio commentariis illustravi, ut qui glossaria ad scriptores explicandos emendandos et ad copias latinae linguae augendas conferri queant demonstrarem. Nec enim vocabula modo in his glossis leguntur, quae alibi frustra quaesiveris ut aquiliculum, fluviosus, sed vindicatur quoque latinitati adiectivi aquilius significatio inusitata, quae quamquam Arnobiani codicis auctoritate mihi prius iam probata erat, dubia tamen adhuc esse potuit. Ita etiam aliquantulum faciunt ad Isidori Originum libros corrigendos, quum multis locis ab usitata ac vulgari lectione cum summo eorum commodo recedant. Denique Papiae glossas ubique addidi, quod plurimis locis cum hoc fragmento consentiunt et ex utrisque optime intelligitur, qua ratione glossographi in glossis describendis versati fuerint.



Glossarii Fragmentum.

Pag. I.

et percutere in petram ipsum labium suum superius quo nimis crescente. edendi aditus clauditur. atque ita conterendo illud in petra frangit. carens rostri honore. quo cibus impediebatur. post accipit alimoniam. et omnia in eo reparantur. Erit namque post senectutem tamquam iuvenis. redit vigor omnium membrorum nitor plumarum. gubernaculum pennarum. volat in excelsa. sicut et ante. et ita renovatur iuventus eius sicut dd' (?) dicit. Renovab' ut aquilae vi. [1])

Aquileum. fuscum vel nigrum. aquilino corpore nigro. [2]) (de glos)

Aquilo circius. ventus dexter. vel septentrionalis. [3])

Aquilo ventus. ideo dictus quod aquas stringat et nubes dissipet. est enim gelidus ventus et siccus. idem et boreas. [4]) (ysid)

---

[1]) Alia de aquilis senescentibus profert Plinius H. N. X. 3. 4.: oppetunt non senio nec aegritudine sed fame, in tantum superiore accrescente rostro, ut aduncitas aperiri non queat. De aquila sene ad iuventutem redeunte haec scribit Hieronym.: aquila cum senuerit, gravantur ipsius pennae et oculi quaeritque fontem et erigit pennas et colligit in se calorem, et sic oculi eius sanantur et in fontem se ter mergit et ita ad iuventutem redit. Forsitan igitur in loco quem extremum posuit glossator legendum sit: renovatur ut aquila aquae vi. Unde haec glossa sumpta sit, non assequor. cf. Erasm. in Chiliad. prov. ἀετοῦ γῆρας.

[2]) Lege aquilium fuscum vel nigrum. Ita Papias Gloss. „aquilum antiqui dicebant fuscum vel nigrum." Gloss. Philox. p. 19. aquilum μέλαν ὡς Λούκιλλος. Gloss. Paris. inedit. cod. 7690.: aquilum fuscum nigrum. De hoc voc. cf. Kopp. ad Mart. Capell. II. §. 164. p. 218. et dict. mea ad Apul. de D. S. c. 10. T. II. p. 136. Nondum constitit de formatione adiectivi aquilius, quum commentarios ad Arnobium III. 14. perscribebam, ubi codex recte habet pueros aquilios caesios et omnes, quantum video, editores lectionem depravabant in aquilos. Nec in seqq. aquilino corpore emendandum puto in aquilo, etsi ex optimis scriptoribus huius significationis exemplum afferri non licet, nisi huc referatur Apul. Met. II. c. 2. oculi caesii quidem sed vigiles et in adspectu micantes prorsus aquilino, ubi tamen rectius ad oculos instar aquilarum vegetos et acutos referendum esse aquilino intelligitur. Apud posteriores in usu fuisse aquilinus de colore nigro, testatur locus Johann. Diacon. de Vit. Greg. Magn. IV. c. 84. mento a confinio maxillarum decibiliter prominente, colore aquilino et livido.

[3]) Utrumque ventum glossator male commiscuit, quanquam ad eandem coeli plagam pertinet. cf. Isidor. Origg. XIII. 11. §. 3. Porro septentrio a dextris Circium, a sinistris Aquilonem habet. Hinc totam glossam interpolatam esse mihi verisimile videtur, aliquot vocabula inter aquilo et circius excidisse putanti, quibus aquiloni et circio suus locus restituatur cf. Apul. de Mund. c. 11. p. 367. ed. m. et aquilo qui septem stellarum regione generatur, ubi vide dict. mea.

[4]) Est locus Isidor. Origg. XII. 11. §. 13. Eundem repetit Papias Gloss. v. aquilo. aquilo ventus ad sinistrum septemtrionis dictus, quod aquas stringat et nubes dissipet. Est enim gelidus et siccus; idem et boreas quod ab yperboreis oris flat. Ex utroque loco Otton. solum cod. Guelf. I. secutum in novissima Isidor. edit. T. III. p. 420. minus recte scripsisse distringat, mihi quidem

Aquiliculum. pinguidum super umbilicum. [5])

(de glos) **Aquitania** regio. ab obliquis aquis ligeri fluminis appellata. qui ex plurima parte termini eius est. eamque pene in orbem cingit. hec portio occeani qui aquitanus sinus dicitur. ab occasu hispanias habet. a septentrione et oriente lugdunensem urbem. ab euro et meridie lugdunensem provinciam contingit [6])

Aquo Sergia nomen. a quo sergiorum familia. [7])

Aquosus. fluviosus. [8])

Ar. apud hebreos vocatur mensis secundus vel aprilis. [9])

Ara. grecum est quod latine dicitur. putas. [10])

(placid') **Ara**. cum altare significat per a solam scribendum cum vero cubile porcorum. cum aspiratione.

(origin.) **Arabia.** interpretatur insidie. [11])

Arabes. humiles. vel campestres. [12])

Arabes. hii sunt et sabei dicti. arabi qui in montibus arabie sunt. qui vocatur libanus et antelibanus ubi thura colliguntur. [13])

---

persuadetur, praesertim quum distringere totius loci sententiae adversari videatur. Itaque in Isidori loco destringat restituatur.

[5]) Hoc glossema quod ex veteri glossario descriptum esse indicat editor, qui explicem non habeo. Frustra in ceteros glossatores inquisivi neque aquiliculum neque pinguidum vocc. inveni. Ea tamen extitisse non negaverim, quum ex analogiae legibus quin latina esse ponatur nihil obstet. Pinguiculus enim a pinguis formatur, ut putridus a putris, albidus ab albus. Sine dubio ad pinguedinem corporis aquiliculum referebatur, quod instar hydropis est et corpus in eius speciem sufflat. In lexicis utrumque vocabulum non extat. Si quid corrigendum sit, ad voc. aquilegium respiciatur.

[6]) Prior huius glossematis particula extat apud Isidor. XIV. 4. 27., ubi rectius terminus legitur.

[7]) Est versus Virgilii Aen. V. 121.: Sergestusque domus a quo tenet Sergia nomen. Familia etiam explicat Serv. h. l.: domus Sergia: familia.

[8]) Fluviosus voc. neque in glossariis neque in lexicis legitur; sed ex linguae legibus probum est.

[9]) Item Papias: ar apud hebreos mensis secundus dictus et ara graecum est quod latine dicitur putas. Pro putas legendum est puta, quod adverbii locum tenere pro scilicet, exempli gratia lexica satis confirmant.

[10]) In Placidi glossis ab P. Angelo Maio editis hoc glossema non extat; tantummodo litt. H. haec leguntur: hara locus est tenebrarum vel porcorum, ubi quid tenebrarum sibi velit non intelligo. Plenius eadem glossa extat apud Papiam: ara cum altare significat per a solum scribitur, et producit penultimam, cum vero cubile porcorum, cum aspiratione h et brevitate. Ponitur enim pro focis pro sacris penetralibus.

[11]) Papias: arabia interpretatur insidiae et statim: interpretatur sacra eo quod sit regia turifera, quae verba in seq. glossa leguntur. Idem glossema in cod. Paris. in. 7644 legitur, ut ex Origine.

[12]) Hoc glossema habet Papias: arabes humiles vel campestres atque in alio cod. Par. idem legi testatur Henschel. in nov. edit. d. Cang. Gloss. Med. et Inf. Lat. T. I. p. 344. In cett. glossariis hoc non inveni.

[13]) Legitur apud Isidor. Origg. IX. 2. 49., ubi ex codd. Guelf. 1. et 2. cum hoc glossario restituerim: ipsi sunt et Arabi, quod in suo exemplari invenisse glossatorem apparet. Ceterum codicem Guelf 2. optimum esse contra Ottonem moneo, cui de eius auc-

Arabia. dicta regio. id est sacra . hac enim significatur interpretatione eo quod sit regio odorifera. odores bonos creans. hinc enim greci eudemo nostri beatam nominaverunt In cuius saltibus et mirra. et cinamomum provenit. Ibi nascitur avis fenix. sardo in gemma. et hyris. molocides. et pedorata. ibi invenitur. Ipsa est et saba appellata a filio cus. qui nuncupatus est sabaa. hec autem angusto terre tractu ad orientem versa ad persicum sinum extenditur. cuius septentrionalia caldea claudit. occasum sinum arabicus. [14])

Arabici dicti heretici. eo quod in arabia exorti sunt. dicentes animam cum corpore mori. atque in novissimo utrumque resurgere. [15])

Arabicus lapis similis est ebori . sine ulla macula . hinc defricatus ad cutem sucum dimittit croco similem. [16])

Arrabonem . arram. (de glos)

Arrabon dicta . quasi arra bona . quod enim datur pro coniugio bene datur. (ysid') quod coniugium bonum est. quod vero causa fornicationis. aut adulterii malum est. idcirco arra bona non est. arra autem dicitur a re pro qua traditur . est autem arra non solum sponsio coniugalis. sed etiam et pro qualibet promissa re data. ut contempletur. arra est quae primum pro bono fidei contractu empta. ex parte datur et postea completur. Est autem arra complenda. non auferenda.

---

toritate parum persuasum fuisse nimis dolendum est. Ille cum glossis Papiae et nostris saepius consentit. Ita etiam in Papiae Gl. extat: arabii ii sunt et sabaei dicti quod in monte arabiae sunt qui dicitur libanus et antelibanus. Ipsa est et saba et panchaea.

[14]) Haec glossa legitur in Isid. Origg. XIV. 3. 15. Arabia appellata id est sacra. Hoc enim significare interpretatur eo quod sit regio thurifera, odores creans. Hinc eam Graeci εὐδαίμονα, nostri beatam nominaverunt. In cuius saltibus et mirra et cinamomum provenit. Ibi nascitur avis Phoenix, Sardonix gemma, et Iris Malochites et Paederota ibi invenitur. Ipsa est et Saba a filio Chus, qui nuncupatus est Saba. Haec autem terra angusto tractu ad orientem versus ad Persicum sinum extenditur, cuius septentrionalia claudit Chaldaea, occasum sinus arabicus. Dedi verba, ut in edit. Otton. leguntur; at magnam esse inter glossatorem et Isidorum differentiam apparet, quae tamen priori vitio vertenda sit. Postrema verba etiam Papias habet: angusto terrae tr. ad. or. versus ad p. s. ext., cuius s. chaldaea claudit, occ. sinus arabicus. At forsitan rectius in Isidori et Papiae loco ex nostro gloss. legatur: ad orientem versa, et cum omnibus codd. et edd. praeter Guelf. 1. Chaldaea claudit, quum claudit Chaldaea interpolatio videatur librarii, qui in seqq. sinus Arabicus postpositum esse animadverterat. Ita etiam in prioribus Molochites praetulerim, quod non solum plurimi Isid. codd. habent sed etiam Plinii H. N. XXXVII. 36., et graece malva aut μαλάχη aut μολάχη nominatur.

[15]) Isidor. Origg. VIII. 5. 59.: Arabici nuncupati eo quod in Arabia exorti sunt, dicentes animam cum corpore mori atque in novissimum utrumque resurgere, quo loco in novissimo praetulerim. Papias: arabici ab arabia heretici dicti, ubi sunt orti, dicentes animam et corpus simul mori simul resurgere. cf. du Cang. Gloss. v. Arabici.

[16]) Locus est Isidor. Origg. XVI. 4. 11., ubi rectius pro cutem ex codd. Arevali cotem legitur. Papias: arabicus lapis similis est ebori. Plin. H. N. XXXVI. 41. Arabus lapis ebori similis; dentrificiis accomodatur crematus. Pri-

Unde et qui habet arram. non reddet sicut pignus. sed desiderat plenitudinem. Et dicta arra a re pro qua traditur. [17])

(ysid') **Arachius . filius chanaan. qui archas condidit oppidum. contra tripolim. in radicibus libani situm.** [18])

Aracusia. ab oppido suo est nuncupata. [19])

Aradias . filius coahan . a quo aradii sunt qui aradum insulam possederunt. angusto freto a fenicis littore separatam. [20])

Aradia gemma ex patria dicta aspectu eburnea est. [21])

---

vatim haemorrhoidas sanat cum lanugine linteorum, linteolis supra impositis. et XXXVII. 54. Arabica ebori simillima est, et hoc videretur, nisi abnueret duritia (ex quibus verbis non cutem sed cotem in Isid. l. legendum esse apparet.) Putant contra dolores nervorum prodesse habentibus. Ex priore Plinii loco erat quod nonnulli interpretes in Apul. Apol. c. 6. legere mallent: misi ut petisti, mundicinas dentium, nitelas oris ex Arabicis rupibus pro frugibus. Vix tamen persuadetur Apuleium rupibus ea significatione dixisse. Fruges arabicae sunt aromata quae ex Arabia apportantur.

17) Hoc glossema ex duobus Isidori locis est compositum Origg. IX. 7. 6.: arrabo dicta quasi arra bona..... iccirco arra bona non est. Dicta autem arra a re, pro qua traditur. Est enim (ex Guelf. 1.) .... sed etiam et pro qual..... ut compleatur. et V. 25. 20.: arra vero quae primum pro re bonae fidei contractu empta... completur. §. 21. Est enim arra complenda..... inde qui habet... traditur. Papias: arrabo arrabonis dictus quasi arra bona. Quod enim datur pro coniugio bene datur, quod vero pro fornicatione non arrabo dici potest. Arra autem dicta a re pro qua datur, non ut ipsa sicut pignus reddatur, sed ipsa sibi manente cetera compleantur. Gloss. Philox. p. 22. arra ἀῤῥαβών. Primum haereo de nominitivi voc. arrabo terminatione, quae si arrabon fuit, magis explicatur qui grammatici in inceptam sententiam abierint, ex arra et bona voc. esse compositum; certe h. l. arrabon praefero. In duobus locis, ubi nominativus extat, codd. arrabo scribunt, ut apud Varronem L. L. V. 175.: Arrabo sic data, ut reliquom reddatur; hoc verbum item a Graeco ἀῤῥαβών. et Quadrig. apud Gell. XXII. 2. Arrabo etiam feminino genere dici praeter Varronem Isidorus et hic glossator declarant, quum contra Papias cum aliis masculino genere protulerit; cf. Voss. Aristarch. T. I. p. 351. Förtsch. Ad explicationem glossae faciunt quae Plin. H. N. XXXIII. 6. fin. scribit. argumento est consuetudo vulgi, ad sponsiones etiamnum anulo exsiliente, tracta ab eo tempore quo nondum erat arrha velocior, et Petri Chrysolog. serm. 140.: nam fert arram, dotem suscipit; cf. Salm. ad Capitol. T. I. p. 254. du Cang. Gloss. v. arrhae T. I. p. 414. Hentschel. et Digest. XVIII. 1. 35.

18) Cf. Isidor. Origg. X. 2. 24. Septimus Arachaeus cett. unde h. l. legendum esse apparet Aracheus pro Arachius; et item apud Papiam: Aracheus (ubi cod. Par. habet Arachius) filius Chanaan, qui archas condidit oppidum in radicibus libani; cf. Genes. X. 17.

19) Isidor. Origg. XIV. 3. 9. Aracusia ab oppido suo nuncupata. Papias: aracusia ab oppido suo sic dicta.

20) Isidor. Origg. IX. 2. 24. ubi Aradius exstat, ut apud Papiam: Aradius filius chanaan (ita in hoc gloss. emendandum est pro coahan.) a quo aradii sunt qui aradum insulam condiderunt; cf. Genes. X. 18. Ceterum Phoenicis utroque Isidori et h. gl. loco legendum esse dubito, quum, quantum scio, Phoenices incolae nec tamen regio ita appelletur. Praefero igitur emendationem Phoenices.

21) Eadem glossa apud Papiam extat: aradia gemma ex patria dicta, eburnea est, quam ex Isidor. Origg. XIV. 15. 14. depromptam esse apparet, ubi tamen, si Ottoni

Aram. i . altare quidam dixerunt vocatam quod ibi incense victime ardeant . alii aras dicunt. unde imprecatio catara dicitur. alii volunt ab altitudine aras. sed male. [22])

Aram . sepulchri piram . et interpretatur ignis. [23]) (Virgil')

Ara . interpretatur altus. ara iracundia sonat. [24]) (Origin)

Arandum . sulcandum . intercidendum. [25]) (Virgil')

---

fides habenda est, omnes omnino codd. Arabica ex patria dicta, aspectu eburnea est legunt. Utrum idem sit lapis quem glossae prius arabicum appellant, haereo. Primum offendit, quod alter Arabus apud Plinium s. Arabicus, alter Arabica a Plinio et Isidoro, Aradia a Papia et huius fragmenti editore nuncupatur. Deinde etiam mira est ab utrisque partibus lectionis discrepantia, quum illi Arabica hi Aradia habeant. Ex solo errore Aradia lectionem non profectam esse, mihi quidem inde probatur, quod post Aradias et in Papiae et in meo glossario haec glossa extat, ita ut uterque glossator Aradia in suis libris invenisse videatur. Tum Aradia difficilior est lectio, quam quae a sciolo quodam librario vel glossatore in Arabica commutata esse dici possit. Unum tantum id restat, ut Aradia a docto homine factam esse lectionem ponatur, qui quum duobus locis eundem lapidem commemorari videret, diversum esse lapidis nomen opinaretur.

22) Isidor. Origg. XV. 4. 13. ita habet: Aram quidam vocatam dixerunt, quod ibi incensae victimae ardeant. Alii aras dicunt a precationibus, id est quod Graeci ἄρας dicunt, unde contra imprecatio κατάρα dicitur. Alii volunt ab altitudine aras sed male. Idem fere habet Serv. ad Virg. Aen. II. 515. Papias: ara dicta quod victimae ibi ardeant vel a precationibus, quas graeci aras (ita Ms. Paris. pro ἄρας habet) dicunt. Varro de L. L. V. 38.: A quo potest etiam Ara Deum quod pura, nisi potius ab ardore, ad quem ut sit, fit ara. Aliam vocis originem protulit Macrob. Satur III. 2. ex Varrone; cf. Voss. Etym. De discrimine vocc. ara et altare vide Voss. ad Virg. Ec.. V. 66., qui ab αἴρω petendum esse ara voc. existimat.

23) Coniungenda sunt aram sepulcri nec cum Ms. distinguendum inter aram et sepulchri, ut piram cum voc. sepulchri cohaereat. Est enim, ut in margine glossator ipse indicavit, Virgilii locus in Aen. VI. 177.: aramque sepulchri Congerere arboribus coeloque educere certant, quo loco ara voc. pro rogo pyra dictum esse elucet, uti etiam apud Sil. Ital. XV. 387. alta sepulcri Protinus exstruitur coeloque educitur ara: ad q. l. vide Drak. et Burm. ad Val. Flacc. V. 13. Intt. ad Ovid. Trist. III. 3. 21. Attamen de hoc loco veteribus nondum satis constitisse probat Servius ad h. l. „pyram dicit, inquiens, quae in modum arae construi lignis solebat.... Et aram quae ante sepulcrum fieri consuevit intelligere non possumus, ut: Stant manibus arae; cum nondum facta sit funeratio, quae praecedit sepulcrum. Probus tamen et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt. Hic vocabuli significatus mea quidem sententia optime ita explicatur, si ara ab αἴρω ductum quamcumque loci eminentiam indicare ponitur, ut altare proprie altitudo est, qua in re omnes grammatici consentiunt; cf. Heyn. Excurs. IV. ad Virg. Aen. I. 108. sqq. Ara vero voc. pro igni umquam usurpatum esse a probo scriptore mihi quidem persuaderi nequit, quamvis haec glossa testetur.

24) Hic duo glossemata in unum conflata esse ex Papia intelligitur, qui habet aran interpretatur genus, aliter iracundia sonat hebraice. Legendum igitur in hoc gloss. fragm. est: ara interpretatur altus. aran iracundia sonat.

25) Ex Virgilio hoc depromptum esse ipse glossator in margine indicat; utrum tamen locum in mente habuerit Aen. II. 780. an III., 495. vix dicendum est, quoniam in utroque

Arandum . navigandum . colendum. 26)

(ysid') **Aranea** . genus piscis . dictus eo quod aure feriat . habet enim stimulos ex quibus percutit. 27)

Aranea . aeris vermis . ab aeris nutrimento cognominata. Que exiguo corpore longa fila deducit . et tele semper intenta. numquam desinit laborare. perpetuum sustinens in sua arte suspendium.

Aranea vocatur. eo quod aeris infusione in frondibus nutriatur. 28)

(Virgil') **Arant**. habitant. incolunt. 29)

(ysid') **Arapennem** betici vocant . ab arando scilicet ipse est actus quadratus undique finitus pedibus . CXX. ita . CXX. ▭ . CXX. CXX. 30)

---

arandum extat illic: et vastum magis aequor arandum; hic: nullum maris aequor arandum. Item Virg. Aen. V. 158: Longae sulcant vada salsa carinae; cf. Heins. ad Ovid. Amor. II. 10. 33. Pro intercidendum h. gloss. l. legendum existimo interscindendum, quod scindere de navibus mare sulcantibus in usu est, cf. Ovid. Trist. I. 10. 48. Scindere Bistonias altera puppis aquas, ad q. l. vide Intt., atque etiam de arando dicitur; cf. Intt. ad Virg. Georg. I. 50.

26) Prior huius glossematis pars ex iis quae modo disputata sunt, explicatur. De posteriori accuratius in seqq. dicam.

27) Isidor. Origg. XII. 16. 18. Aranea genus piscis dictum quod aure feriat. Habet enim stimulos, e quibus percutit. Papias: aranea, genus piscis, dictus quod aure feriat. Male mihi Otton. in loco Isid. a vulgata lectione, quae in omnibus quoque codd. praeter Guelf. I. extat, abisse videtur, quippe non videnti, dictum emendationem esse librarii qui dictus quomodo defendi queat non habebat, quum aut dicta aut dictum scribi debere opinaretur. Aranea autem generis est masculini, quod quamquam ex loco demonstrari nequit, tamen ex analogia vocmena, tum ex terminatione araneus potest effici quae apud Plinium sola in usu est; cf. IX. 72. Aeque pestiferum animal araneus, spinae in dorso aculeo noxius; et XXXII. 33. anguilla araneus. Qua vero ratione explicandum sit additamentum: quod aure feriat, non habeo, nisi pro aure legere malis aerem, ut eadem ratione qua in sqq. aranea vermis ab aere, etiam piscis nomen accepisse suum dicatur.

28) Isidor. Origg. XII. 5. 2: Aranea vermis aeris, ab aeris nutrimento cognominata, quae exiguo corpore longa fila deducit sqq. Papias: aranea vermis ab aere dictus quod in aere fila gerat. Isidor. XIX. 27. 4. Aranea vocata eo quod aeris infusioni in frondibus nutriatur.

29) Quem Virgili locum glossator in mente habuerit non assequor, quod, quantum scio, ea significatione apud hunc scriptorem non invenitur. Est sine dubio locus Lucan. IV. 334. Cancrique sub axe, qua nudi Garamantes arant, ubi male codd. aliquot erant praebent; cf. Burm. ad Val. Flacc. I. 25. Hinc apparet, arare et colere idem valere, cum colere ut arare etiam pro incolere (cf. Cic. Nat. Deor. II. 66), arare pro colere agrum dicatur, cf. supra arandum: colendum, et Cic. Verr. II. 3. 5. §. 11. In hac causa frumentaria cognoscenda haec vobis proponite, iudices, vos de rebus fortunisque Siculorum omnium, de civium Romanorum qui arant in Sicilia, bonis .... cognituros. Item arationes nominat Plinius H. N. XXVII. 36. Calsa duorum generum est. Una similis aro. Nascitur in arationibus.

30) Isidor. Origg. XV. 15. 4. actus quadratus undique finitur pedibus centum viginti ita:

CXX.
CXX. ▭ CXX.
CXX.

Ararath . mons armenie in quo archam historici post diluvium consedisse testantur. unde et usque hodie ibidem lignorum eius videntur vestigia . [31])

Pag. 2.

Ararim . fluvius germanie . de quo virgilius . aut ararim partus bibet. [32])

Hunc Baetici arapennem dicunt ab arando, quo loco ex Guelf. 2. legerim finitus, quod etiam in h. g. extat et apud Papiam: arapennis a boeticis (pro quo scribendum baeticis apparet) dicitur ab arando scilicet. Ipse est actus quadratus undique finitus, pedibus centum viginti. Gallicam esse mensuram probat etiam Colum. V. 1. §. 6. semiiugerum quoque arepennem vocant, quo tamen loco cum aliis non arapennem nec apud Isidor. arepennem mutaverim, quum non improbabile sit, quae a ceteris Gallis arepennis nominata est mensura, eam a Baeticis per levem vocalis immutationem arapennem appellatam esse. Plura de h. v. disputant du Cang. in Gloss. T. I. p. 356. ed. Hentsch. et Burm. ad Anth. Lat. T. II. p. 659.

[31]) Isidor. XIV. 8. 5. Ararath mons Armeniae, in quo arcam historiae post diluvium consedisse testantur sqq. Papias: ararat mons armeniae in quo archam post diluvium historici sedisse testantur. Apud Isidor. pro historiae, quod praeter Guelf. 2. historiographi habentem omnes codd. praebent, ego malim historici, quod historiae pluralis non ex glossatoris est ingenio ac more, et ita tantum historiographi corruptela explicatur. Tum apud Papiam pro historici sedisse scribo historici consedisse facili emendatione, quia ob antecedentem ci syllabam sequens co excidere potuit.

[32]) Isidor. Origg. XIII. 21. 13. Araris fluvius Germaniae orientis. De quo Virgilius: Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim. Currit enim per Parthiam et Assyriam. Papias: arar vel araris fluvius galliae germaniae, ubi legendum existimo fluvius galliae germanicae. Pervulgatae sunt virorum doctorum de Virgilii loco cuius Isidorus meminit sententiae, quas omnes denuo recensere longum est. At mea quidem sententia ad tales quae prolatae sunt alucinationes fugiendum non erat. Ararim fluvium quamquam constat ad Germaniam quae proprie a veteribus hoc nomine appellata est, non pertinere, tamen quod in Gallia quae Celtica dicitur fluit, Germaniae quodam modo adscribi posse, ex Dione Cass. XLIII. 12. aperte efficitur qui Celtas postea Germanos esse nuncupatos affirmet, cum Celticam regionem quae ad Rhenum sita erat sibi subjecissent, ita ut non raro ea Galliae pars Germaniae nomine efferri videatur; cf. Senec. ad Helv. Cons. 6. §. 9. Pyrenaeus Germanorum transitus non inhibuit, ubi item de Celtis sermonem esse apparet quos in Hispaniam invasisse constat. Hinc in Inscriptt. duarum Germaniarum mentio fit et superioris et inferioris. Eadem ratione Virgilium pro Celtis Germanos dixisse mihi quidem persuadetur, unde et coniecturae et subtiliores interpretationes mittendae sunt. Ita etiam Papias galliam germanicam posuisse putandus est pro gallia celtica. De Arari flumine Caesar B. G. I. 12.: Arar est flumen, inquit, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate; cf. Plin. Hist. Nat. III. 5. Denique quantum Isidorus erraverit in hoc flumine constituendo, elucet; qui quidem error aut ita explicandus sit, ut Virgilii locum ille obiter tractans re vera Ararim in oriente fluere opinaretur, aut ut Ararim cum Araxe cuius paulo post in hoc glossario mentio fit commutaret. cf. Plin. H. N. VI. 16. Atropatene, ab Armeniae Otene regione discreta Araxe. In eiusdem Isidori loco orientis, quod in uno cod. Guelf. 1. extat, ut glossema deleverim. Librarius enim qui Virgilii locum, ut Isidorus, non accurate inspexit, ipsius Isidori additamento: Currit enim per Parthiam et Assyriam, commotus est, ut vocabulo germaniae

(de glos) **Araris . amnis germanie. vel sacra penetralia.**
(Virgil') **Aras . altaria. aras parietes. domesticos focos.** [33])
(ysid') **Aratio dicta . quod de aere prius culturam exercebant . antequam ferri fuisset usus repertus. duplex autem aratio. vernalis et autumpnalis.** [34])
Aratrum . ab arando terram vocatum . quasi araterium. [35])

---

supra scriberet orientis, ut pote lectorem admoniturus, Parthiam et Assyriam non in Germania sed in oriente esse sita. Quod inter lineas additum erat glossema, id postea in Ms. abiit, ut in Guelf. 1., nec tamen in Papiae lexico nec in hac glossa extat.

33) Quid verba sacra penetralia sibi velint non assequor. Vix tamen putaverim ad hanc glossam ea pertinere sed librarii errore huc esse translata. Rectius puto scribi: Araris amnis germaniae. Aras altaria vel sacra penetralia. Ita etiam sequens glossema in duo seiungendum existimo: Aras altaria; Aras parietes focos domesticos. Virgilii locus ad quem glossator respexit, sine dubio est Ecl. V. 66. en quartuor aras Ecceduas tibi, Daphne, duas altaria Phoebo, ad quem locum vide Intt. Dein aras per parietes et focos interpretanti glossographo pro aris et focis pugnare proverbium ob oculos obversatum esse videtur, de quo recte Ernest. in Clav. Cic. arae, inquit, et foci quum iunguntur, cave putes, aras de templis, focos de aedibus privatis intelligi, ut vulgaris opinio fert in illo proverbio: pro aris et focis pugnare, sed utrumque dicitur de privatis aedibus, in quibus ara erat deorum Penatium, (hinc in praegressis sacra penetralia, quum dii penates etiam penetrales appellentur; cf. Cic. de Nat. Deor. II. 27.) patriorum in impluvio, focus autem in atrio isque Larium erat; cf Plin. Pan. 68, 7. domesticae arae focique. Ita etiam aras pro parietibus pro tota domo dici posse non negaverim.

34) Isidor. Origg. XVII. 2. 1. Aratio dicta, quia de aere terrae culturam exercebant, antequam ferri fuisset usus repertus. Duplex est aratio, vernalis et autumnalis. Hoc loco cum vulgata lectione, quam praeter Guelf. 1. omnes habent Mss. et hoc glossema, restituendum est prius... culturam exercebant, antequam, quod prius aut per negligentiam quandam scriptorum, qui particulae antequam id raro addunt, excusandum, aut olim explicandum est. Sed prior sententia magis probatur, quum Virgilius ita dicat Aen. IV. 24. mihi vel tellus optem prius ima dehiscat... ante, pudor, quam te violo, cf. Hand. Tursell. I. p. 385. qui apud ipsum Ciceronem Phil. VIII. 8. 23. optimos quosque libros scribere ait: dixit se non ante renuntiaturum senatui, nisi prius sibi respondisset quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet; at hunc locum plane diversum esse quisque intelliget. Rectius afferri potest Propert. II. 10. 65. aut prius infecto deposcit praemia cursu, Septima quam metam triverit ante rota; cf. Huschk. ad Tibull. I. 3. 9. Item Graeci πρὶν ... πρὶν ἤ dixerunt. Praeceteris vero posterioris aetatis scriptorum erat, eiusdem significationis adverbia iterare, ut tum deinde, ergoigitur, tandem denique al.; cf. quae exposui ad Apul. Met. I. 6. T. I. p. 30. Itaque prius a librario omissum est qui quomodo prius et ante coniungi possint ignorabat. Utrum autem in hac glossa terrae, quod omnes Isidori Mss. praebent, retinendum an cum huius fragmenti auctore delendum sit, adhuc haereo. Faciletamen ob de aere vocabulorum similitudinem terrae excidere potuit.

35) Isidor XX. 14. 2 Aratrum ab arando terram vocatum dicimus quasi araterrium; Papias: aratrum ab arando quasi araterrium. Primum dubito, dicimus, quod in Isidori codd. extat, ab auctoris manu esse, quum, quantum equidem scio, numquam dicere ita soleat, sed sola passiva terminatione scribat dictus dicta, vocatum, dicitur, vocatur, est, sunt, vel vocant, dicunt cett. vel raro dicimus, vocamus, non adiectis vocatum dictum, vel omnino verbum omittat. Ita toto XX. libro semel tantum habet Isidor. 3. 2. Merum dicimus; nusquam

Araxis . fluvius orientis. (de glos)

Araxis . amnis armenie . qui ab uno monte cum eufrate diversa specie oritur. dictus eo quod rapacitate cursus sui cuncta prosternit. Unde et cum alexander cum (?) transgredi vellet ponte fabricato. tanta vi inundavit. ut pontem dirueret. hic brevibus intervallis ad eufratis ortu caput tollit. ac deinde caspium fertur in mare. [30]) (ysid')

Arbe que corrupte in nostris codicibus . arboc legitur . in qua tres patriarche sepulti sunt . abraham . ysaac . et iacob . ipsa etiam et ebron in qua david regnavit. (Euceri.)

Arbe . civitas iudee . de qua liber geneseos meminit dicens. Et mortua est sara in civitate arbe . quae est in valle oc. quae hic sita est . hoc in autenticis libris non habetur. Nomen quoque civitatis arboc paulatim adscribentibus legentibusque corruptum est sicque enim putandum septuaginta interpretes nomen civitasis hebraice . barbarice atque corrupte . et aliter quam in suo dicitur transtulisse. [37]) (hieronim.)

Arboc nichil significat omnino . sed dicitur arbe hoc est quatuor. quod ibi abraham ysaac et iacob conditi sunt . et ipse princeps humani generis adam . ut in ihu libro apercius monstratur . ibi positus est.

Arbe locus . nomen ex numeris sumpsit . hoc est quatuor. pro eo quod ibidem tres patriarche sepulti sunt . et quartus adam. Distat hic locus non procul ab ebron metropoli urbe allophilorum in qua fertur aliquam fuisse habitationem gigantum ubi etiam et david postea unctus est in regem. Est autem civitas sortis iudee . sacerdotibus separata distans ad australem plagam ab ihrl'm procul. XXII. miliaribus. Arbe civitas quae a gigantibus condita est . ante septem annos quam ab eis tanais urbs egipti conderetur . quidam autem dicunt (ysid')

---

libr. XIX. In huius fragm. loco pro araterium scribendum esse araterrium, ex ipsa interpretatione apparet.

[36]) Isidor. Origg. XIII. 21. 16. Araxis fluvius Armeniae, qui ab uno monte cum Euphrate specie diversa oritur, dictus quod rapacitate cuncta prosternat. In seqq. cum hoc glossario fragmentum consentit. Primum vero pro fluvius, quod ex solo cod. Guelf. 1. Otto. recepit, ego corrigam amnis, quo voc. raro tantum in hac fluminum descriptione Isidor. utitur, ita ut fluvius ex emendatione videatur esse librarii qui fluvios cetera flumina ab Isidoro appellari fere omnia vidit. Papias quoque: araxis amnis armeniae in oriente. De lectione prosternit et prosternat difficile est iudicium, quum et coniunctivus et indicativus cum quod particula ab Isidoro coniungatur; ut XIII. 1. 5. dicitur eo quod vertitur al. Idem de Araxe Virgilius profert Aen. VIII. 728. indomitique Dahae et pontem indignatus Araxes.

[37]) In Isidor. Origg. XV. 1. 24. haec leguntur: Chebron civitas Iudaeae quae quondam vocabatur Arbee, condita est a gigantibus ante septem annos quam ab eis Tanis urbs Aegypti conderetur. Ipsa est Arbee a numero ita vocata, quod ibi tres patriarchae sepulti sunt, et quartus Adam. Ipsa est et Mambre vocata, ex uno amico Abrahae. [cf. Genesis. II. 25.; XXXV. 27. sqq. XLIX. 30. sqq. L. 37.] Papias: Arbe hoc est IIII., quod ibi abraham ysaac et iacob in inferiori spelunca duplici sepulti sunt et ipse princeps adam in interiori. hoc est hebron. haec prius dicta est arboch. Haec tota glossa ex Isidori et Hieronymi locis composita est.

abraham expletis centum septuaginta quinque annis sepultum esse in agro efron in spelunca duplici in cuius interiori parte sepultum ferunt adam in exteriori vero abraham. Distat autem hic locus ut iosephus docet septimo ab urbe efron stadio . ibique asserit abraham et filios eius monumentum habere pulcherrimum instructum marmore . et opere elegantissimo. Illic etiam et therebintum magnam arborem a constitutione mundi fuisse . asserit hanc ieronimus usque ad constantini regis imperium perdurasse scribit. Ipse est enim quercus mambre amorrei . qui fuit amicus abrahe . que apud gentiles in tanta extitit veneratione . ut eam muri ambitu circum septam . sacratione sollempni colerent.

(de glos) **Arbiter** . iudex. [38])

---

38) Fest. p. 13. T. I. Lindem: Arbiter dicitur iudex, quod totius rei habeat arbitrium et facultatem. Arbitrium dicitur sententia, quae ab arbitro statuitur. Papias: arbiter medius iudex interpres . sed arbiter fit ex voluntate . iudex ex lege . facit arbitri secundum salustium . secundum vero regulam prisciani tertiae declinationis est. Inde arbiterium collegium arbitrorum multorum . i . consensio . arbitrari ex animi iudicio. iudicare ex lege. Commune antiquitus .: de quo glossemate infra accuratius dicam. De differentia arbitrii et iudicii locus est Ciceron. pro Rosc. Comoed. 4. §. 10.: Aliud est iudicium, aliud arbitrium. Iudicium est pecuniae certae, arbitrium incertae. Ad iudicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus aut amittamus; ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil neque tantum quantum postulavimus consequamur. cf. Senec. de Benef. III. 7. Ernest. Clav. Ciceron. v. arbiter. Progrediamur nunc ad singulas h. v. significationes quae in Glossario exponuntur. Arbitrum et iudicem saepius inter se confundi multi poetarum loci comprobant, ut Hor. Od. III. 20. 11. arbiter pugnae al. Pro medio et interprete dictum est a Liv. II. 33. §. 11. Huic interpreti arbitroque concordiae civium, ad q. l. cf. Intt. Interpretem vero esse medium sequestrem notat Serv. ad Virg. Aen. IV. 608; Gloss. Philox. p. 18. arbiter μεσίτης διαιτητής. Ex hac significatione facile intelligi potest, quomodo glossator ex suo, quantum mihi persuasum est, ingenio, seqq. glossas addere potuerit. Pro consiliator legendum esse conciliator apparet; cf. Tacit. Ann. I. 58. simul genti Germanorum idoneus conciliator; Apul. Apol. c. 98. T. II. p. 619. ed. meae: Ego vero quietis et concordiae et pietatis auctor, conciliator, favisor non modo nova odia non serui, sed vetera quoque funditus exstirpavi. Ex graeco arbiter ortum esse, sententia videtur esse glossographi, arbiter graece pacificator scribentis, quum ad significationem hoc referri posse negandum sit. Nostris temporibus eandem de huius vocabuli origine opinionem proposuit Lennep. Anal. Ling. Lat. p. 273. qui arbiter et graece ἀρβιτὴρ ab inusitato ἄρβω pro ἄρω i . necto iungo petendum esse arbitratur. Pro arbitratum iudicio legendum arbitratum iudicium idque a priore glossa separandum puto, quum ex glossis sit depromptum. Sequentem glossam etsi ex Isidoro se descripsisse glossographus in margine indicat, nec tamen in Gloss. nec in Origg. reperi. Pauca nunc restant, quae de Papiae glossa proferam. Hic enim quum ex Sallustii regula arbiter, ri, ex Prisciani lege arbiter, ris esse scribendum dicat, hanc sententiam sine dubio ex eo glossatore mutuatus est, ex quo totam glossam deprompsit. Apud Priscianum vero, qualis hodie extat, ea de re nusquam sermo est nec afferri licet locum, ex quo arbiter in genitivo arbitris unquam formasse comprobetur. Tum idem Papias arbitror commune antiquitus fuisse monuit, id quod exemplis confirmatur; cf. Gloss. Philox. p. 18. arbitravere συνεβίβασαν. Plaut. Stich. I. 2. 87. Propiores, credo, arbitrabunt, si probis narraveris; Pers. 2. 57. Cas.

Arbiter . medius . interpres . internuncius. (Cicer.)

Arbiter . graece consiliator . pacificator.

Arbiter . auctor concordie.

Arbitrari et estimare . ita distinguitur . estimare apud animum nostrum est . arbitrari iudicium anime proferre . Arbitratum iudicio. (Ex differ.)

Arbitrum et iudicem . ita distinguimus . abiter(?) ex voluntate fit . index ex lege. (de glos) (ysid')

Arbitrium est voluntas libere potestatis. vel persone quae sponte vel bona vel mala appetere potest.

Arbitrium autem ab arbitrando rationali consideratione vel discernendo. quid eligat quidve recuset . puto quod nomen accepit . vel ideo liberum dictum quod in sua sit potestate positum . habens agendi quid velit possibilitatem . quod est vitalis et rationalis anime motus. (august')

Arbitrium . voluntas . sive potestas. (de glos)

Arbitror . conitio . statuo . reor . iudico. Cicer.)

Arbitror . pono . colligo . animo conspitio.

Arbitror . suspicor . ut mea fert opinio.

Arbitror . existimo . puto . credo . opinor . sentio.

Arbor et arbos . ita distinguitur . arbor enim et fructifera et sterilis dicitur . arbos autem nonnisi fructifera . genere autem feminino arbores dicimus. poma vero neutro . arborum quoque nomen sive herbarum ab arvis inflexum creditur. eo quod terris fixis radicibus adherent . Utraque autem ideo sibi pene similia sunt . quod ex uno alterum gignitur. Nam dum sementem in terram ieceris . herba prius oritur . dehinc confortata surgit in arborem . et intra parum quam herbam videras . arbustum conspicis. Creandarum arborum naturaliter tria sunt genera . aut enim sua sponte nascuntur aut ex seminibus fortuito iacentibus .... [39])

V. 1. 11. Epid. II. 2. 84.; cf. Prician. VIII. 4. T. I. p. 377. Krehl. ibid. 370.: Coelius: Ex scriptis eorum qui veri arbitrantur, passive ὑπολαμβάνονται.; cf. Voss. Aristarch. T. II. p. 750. quaeque ibi adnotavit Eckstein. meus.

39) Isid. XVII. 6. §. 1.: Arborum nomen sive herbarum ab arvis inflexum creditur eo quod terris fixis radicibus adhaereant. Utraque autem ideo sibi pene similia sunt, quia ex uno alterum gignitur. Nam dum sementem in terram ieceris, herba prius oritur, dehinc confota surgit in arborem et infra parvum tempus quam herbam videras arbustum conspicis. Huius loci quem qualis in Otton. edit. extat descripsi, lectionem ab hoc fragmento multum discrepare non est quin videat. Primum adhaerent apud Isidorum restituerim, ubi unius cod. Guelf. 1. anctoritate nimis deceptus, Otto. adhaerent depravavit; tum confota vocabulum qui intactum ab omnibus edd. relinqui potuerit vix percipitur, quum nec per sententiam nec per usum loquendi comprobetur. Confovere de rebus vel personis tantum usurpatur, quae ut nativum suum calorem ac vigorem retineant neve pereant bene curantur. Ita Hieronymus adv. Ruf. 8.: terra non debet gremio suo semina confovere dicere potuit de semente quae terrae gremio tanquam credita bene alitur et nutritur, ut provenire possit; nec tamen herbam confovere latine usurpari existimo de ea quae corroborata iam et e gremio terrae emissa in arborem surgit. Hinc igitur lectionem glossae confortata comprobaverim, quae sententiae loci optime conveniat. Confortare enim quanquam apud probos scriptores in usu fuisse non videtur, ab aliis tamen scriptoribus qui ab Isidori

[illegible] ita [illegible] recedunt, [illegible] cf Hi[illegible] [illegible]
[illegible] a Papa Valeriano ad eam confortandam litteras [illegible]
[illegible] p. 46. confortiat συνισχυρίσεται, ubi confortat leg[illegible]
[illegible] p. 29. confo[r]to κραταίνω. — Apud Papiam haec glossa tali m[illegible]
arbor vel arbos femininum a robore derivatum, eius servat [illegible]
[illegible] Arborum omnium specialia nomina feminina sunt ut fic[illegible]
excepto oleastro masculino. Nam nec siler neutrum nec [illegible]
[illegible]culinum inter arbores poni debent. Sic quoque dumus... [illegible]
[illegible]tifera et sterilis dicitur; arbos vero nonnisi fructifera. Dic[illegible]
tem ab herbis eo quod prius omne nascens in herbam pullulat. [illegible]
autem feminino arbores dicimus, poma vero neutro, exceptis
hic oleaster hoc siler et hoc buxum, licet haec buxus dicatur. [illegible]
est Isidori de his terminationibus sententia Origg. l. 26. 23.: R. littera co[illegible]
onem habet cum s. littera. Itaque apud antiquissimos honos labo[illegible]
hos dicebatur, nunc honor, labor, arbor. Idem profert Fest. p. 13. ed[illegible]
dem. Arborem pro arbore antiqui dicebant et robosem pro robor[illegible]
ego legerim arbosem pro arborem .... et robose pro robore. De [illegible]
arborum idem profert Plin. H. N. XVI. 58.: Arbores quas naturae deb[illegible]
tribus modis nascuntur: sponte aut semine aut ab radice. Colum[illegible]
III. 1. §. 1. Arborum species diversae et multae sunt: quippe vari[illegible]
ris (sicut auctor idem refert) nullis hominum cogentibus ipsae spont[illegible]
sua veniunt, multae etiam nostra manu satae procedunt.

Errata

p. 4. l. ult. lege substituerent.
p. 5. l. 4. — cognosci.
44. — compilatae.
p. 12. l. 12. abn. — Otto..... videns.